DISPVTATIO INAVGVRALIS
DE
APPETENTIA CANINA.

QVAM
Sub præsidio divino,
Ex
Decreto & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi Excellentissimiq́
Collegii Medici,
Quod in inclyta ac celeberrima Rauracorum Academia est,
Pro consequenda dignitate, honore & privilegiis Doctoralibus
Censuræ publicæ subjicit

MARTINVS HESS Friccenhusanus Wirttembergicus.

Ad diem 22. DECEMB. Anni MDCXVIII.



BASILEÆ,
Typis JOH. JACOBI GENATHII, Acad. Typogr.

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS & Amplissimis Viris ac Dominis,

DOMINO PRAETORI AC SENATUI

Antiquissimæ ac Celeberrimæ Civitatis Imperialis LANDAVIENSIS,

Patronis ac Fautoribus suis summâ observantiâ colendissimis,

Hasce Inauguralis Disputationis Theses


in

Felicis novi Anni auspicii congratulationem

Humiliter ac submissè

Offert ac dedicat

MARTINUS HESS,
expostulatus Physicus Landaviensis.



ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIONIS INAVGVRALIS

THESIS

I.

MAGNO munere naturæ, omnibus vegetante animâ præditis, datum esse, ut ad conservationem propriæ substantiæ, convenientia ac familiaria attrahant; contraria verò & inimica, cœco quasi instinctu naturæ depellant ac aversentur, præter Philosophorum, juxta & Medicorum consensum, experientiæ testimonium satis superq; demonstrat.

II.

Cùm autẽ non rarò viris, ac pueris, frequentiùs verò mulieribus accidat, ut ea, à quibus alioqui secundùm naturam habentes, maximè abhorrere solent, singulari desiderio appetant, ac interdum crudas carnes, carbones, cementum & reliqua naturæ molesta (quorum tamen exempla, quia ubique obvia, recensere supersedebimus) devorent ac avidè deglutiant, operæ me prepretium facturum putavi, si istius affectus causam ac curam, quantum quidem brevitas temporis concedit, perverstigarem.

III.

Invenimus autẽ, ut à nomine auspicemur, qui hunc affectum malaciam dictam volunt, quod Cælius Rhoding. *lib.3.antiq.lect.* mollitiem interpretatur, eò quia

mulieres, quæ natura molles sunt, hoc malo sæpè corripiantur. Alii κίτταν seu picam & picationem, eodem Cælio attestante, appellant, quòd in stomacho multorum facta sit redundantia, ex qua absurdorũ sese promit appetentia, indidemq; quoq; nomen nacta est affectio, διὰ τὸ ποίκιλλον τοῦ ζώου τῆς κίττης, i.e. ex avis varietate, vel quòd malo id genus corripiatur frequentiùs.

IV.

Alii κυνώδη ὄρεξιν, i.e. Appetentiam caninam vocãt, quia hoc malo correpti, ad-instar canum nimiùm appetunt, rursumque devorata evomunt.

V.

Sed nos de nominibus, quæ imponentium arbitrio relinquuntur, haud litigabimus, quemadmodum Galenus etiã infinitis in locis scrupulosam nominum curiositatem ceu vanam ac inutilem prohibet ac rejicit, cuilibet liberum sit, ut vel picam vel malaciam vel appetentiam caninam nominet.

VI.

Sufficiat nobis in eo omnes convenire, quòd sit vitium appetitus, seu depravatus appetitus, in quantitate modum excedens.

VII.

Ad quam verò speciem Appetitus, cùm unus sit Naturalis, alius Animalis, referenda sit hæc affectio, non æquè inter omnes constat.

IIX.

Sunt enim permulti, qui ad tam absurdorum ingestionem stupent, æstimantes, illa in Ventriculo conco

qui ac in nutrimentum verti, ac proinde ad naturalem referri debere putant.

IX.

Quos amplius confirmat, quòd sæpè in prægnantibus in utero gestatorum commaculari cutem vident.

X.

Sed nos facilè ex his tricis nos absolvere poterimus, si utriusque Appetentiæ sedem inspiciamus. Naturalis enim per totum corpus sparsus est, quia omnes partes nutriri ac vivere volũt, qui finis est naturalis appetitus: Animalis verò in ventriculo residens ac indigẽtiæ sensum percipiens (in cujus rei gratiam duo insignes nervi à cerebri conjugatione nervorum sexta, in utrumq; ipsius os implantati sunt) facultatem animalem impellit, ut ad acquirendum cibum & potum procurrat.

XI.

Cùm itaque canina Appetentia affectus sit ipsius oris ventriculi, (quemadmodũ præter ejus symptomata, quæ illud abundè docent, etiam Galenus confirmat, *lib. 1. de causis sympt. c. 7.* dum inquit, Os ventriculi inducit & dyspnœas & apnœas, & demorsus & epilepsias, & deliria & Melancholias, atq; hęc omnia societatis ratione. Inappetentias verò & diminutas vitiosasque appetentias per se ipsum.) quis non ad Animalem referendam censeret?

XII.

Interim tamen nõ negamus, quòd naturalem etiam possit trahere in consensum, cùm, ut Galenus præallegato loco inquit, nullum membrum aut ita exactum sensum habet, aut ita utrumque principium unà secum afficit sicut os ventriculi.

XIII.

Nec enim solùm naturalis facultatis vim appetitivam, sed interdum etiam πλαστικὴν pervertit, quemadmodum videmus in prægnantibus accidere, ubi animalis facultas, frustrationem expetitæ rei molestè ferens, ad naturalẽ defert, quæ, quia tùm formãdo fœtui maximè est intenta, oblatam speciem fœtui imprimit.

XIV.

Quemadmodũ enim in usu Venereo cogitatio transvolans similitudinem effingere existimatur, ita in appetentia canina, cogitationum velocitas, frustrà desideratæ rei notam fœtui imprimere creditur, materiâ præsertim ob teneritudinem ac mollitiem ad omnem fingentis modum sequaci existente.

XV.

Ex quibus facilè hujus affectus definitionem colligere licet, quòd nimirum sit dolor stomachi, ex membranarum illius intemperie, vel acri humore, membranis impacto, coortus, animalem facultatem ad indesinenter appetendum irritans, naturalemque per consensum perturbans.

XVI.

Ex hac definitione emergunt ipsius causæ, materialis, formalis, efficientes propinquæ seu continentes.

XVII.

Formalis est continua ac indesinens ingerendi cibi necessitas, hac enim distinguitur à βουλίμῳ, qui itidẽ vehemens fames est, sed cito solubilis, quemadmodum Fuchs. *lib. 3. c. 8. de morbis medendis* declarat.

XIIX. Cau-

XIIX.

Causa materialis & proximè efficiens seu continens est frigida membranarum stomachi intemperies, vel vitiosus succus, qui frigidus est, similem suctui morsum inferens, appetentiamque proritans, naturalis affectus similitudine.

XIX.

Has causas aliæ præcedere solent, quarum aliæ internæ προηγουμέναι à Philosophis dictæ, aliæ externæ προκαταρκτικαὶ appellatæ.

XX.

Internæ sunt: Acrium humorũ à cerebro ad os ventriculi defluxio, cùm illud vel per se imbecillum est, vel aliis causis, quas inter procatarcticas numerant, ad intemperiem frigidam perductum est.

XXI.

Assidua item excrementorum alvi dejectio, à retentricis facultatis intestinorum dissolutione, aut humoris pravi stimulatione oborta.

XXII.

Menstruorum retentio, quæ fieri solet vel ob osculorum vasorum conniventiam, aut adnatas carnes, aut ob conceptum in utero fœtum, hinc in prægnantibus hic affectus ad quartum mensem suam crisin assequitur, fœtu scilicet jam virium robore ad conficiendum sanguinem menstruum adepto.

XXIII.

Quamvis quibusdam ad partus exclusionem durare non negemus, præsertim iis, quæ ad pravorum humorum

rum generationem procliviores, aut voluptariæ vitæ deditæ sunt.

XXIV.

Interdum etiam à viscere aliquo, ut Liene vel Epate, humor acris ad stomachum regurgitat, aut à toto corpore depravati humores confluunt, si illud vitiosis humoribus abundet, ac os stomachi imbecillius factum sit, & cutis ex frigiditate stipata, quemadmodũ Galenus *lib. 3. de fac. nat.* inquit, Non est à ratione alienum, quòd fieri nequeat, si pars ea, quæ ad cutim est, insolito interim frigore stipata, ubi & imbecillior est reddita, & quem priùs citra offensam insparsum habuit humorem, ut onus potiùs, quàm præparatum aliquid ad nutritionem sustinet, eóque pellere à se studet, simul autem via, quæ foràs fert, densitate est interclusa, ad eam, quæ intro fert, convertitur. Itaque quod offendit, in vicinam sibi particulam violenter coactum amolitur, atque illla rursus in eam, quæ sibi proxima est, neque id fieri desistit, quoad translatio ad interna ora venarum finiatur.

XXV.

Aliquando etiam oritur hic affectus ob decubitum humorum ad partes exteriores, si nimirum illæ nimio calore accensæ, cutisque præter modum rarefacta fuerit, tunc enim venæ humores à partibus internis emulgent, hæque exinanitæ os ventriculi lancinant, ac ad suctum impellunt.

XXVI.

Quòd verò hoc malo affecti terram, carbones & reliqua ad istam obscœnitatem appetũt, facit humorum in ventriculo cõtentorum similitudo, quæ itidem fœda ac prava est: quemadmodum Fernelius inquit *3. lib.*

sexti

sexti de part. morb. ac sympt. Fit autem (intellige malaciam) quoties oris ventriculi tunicæ vitioso quodam humore vel excremento oblitæ sunt, cujus longa consuetudine similia etiam vitiosa expetuntur.

XXVII.

Quanquam idem Fernelius, ubi ingens ac omninò morbosum vitium est, etiam contrariorum appetitum urgere velit, loco præallegato.

XXIIX.

Et hæc satis de internis, videamus nunc etiam externas, quæ sunt primò Constitutio aëris frigida, vel ventus frigidi, quales sunt aquilonares, ventriculum refrigerantes, & constringentes, vel cutis meatus constipantes.

XXIX.

Interdum etiam aëris constitutio prædictæ contraria, nempe calida in causa esse potest, rarefaciens scilicet cutim, carnemque accendens, ut vicinos humores attrahat, tandemque ventriculum exinaniat: quemadmodum Thesi 25. dictum fuit.

XXX.

Cibi ex rebus crudis & acidis parati, ut sunt fructus immaturi, panis nimiùm fermentatus, & plura alia, quę facilè in acorem vertuntur.

XXXI.

Potus aquæ frigidæ, quales sunt fontium septētriones spectantium, aut super res minerales decurrentium, tum balnea ex iisdem facta, cutem constringunt, pravosque humores intrò repellunt.

XXXII.

Somnus intempestivus, cujusmodi est meridianus, & qui captum cibum insequitur, talis enim caput pravis humoribus aggravat, qui deinde rursus decidunt, membranasque stomachi infarciunt.

XXXIII.

Ocium nimium, exercitiorumque consuetorum intermissio, hoc enim modo calor torpescit atque extinguitur.

XXXIV.

Et hæc de causis dicta sufficiant, nunc paucis etiam de signis, quæ nobis affectus cognitionem planiorem faciunt, viamque curationis monstrant.

XXXV.

Alia verò signa cum causis sunt conjuncta, morbumque ex necessitate sequuntur, ac dicũtur παθογνωμονικὰ. Alia nõ quidem cum causis sunt conjuncta, sed morbũ plerunque sequuntur, ejusq; differentiam, morem, ac magnitudinem indicant, dicunturque συνεδρεύοντα.

XXXVI.

Παθογνωμονικὰ sunt; membranarum frigiditas, adstrictio, suctus, frigus intemperiem, adstrictio qualitatem humoris, suctus non intermittens facultatis animalis depravationem significat.

XXXVII.

Συνεδρεύοντα sunt, quæ nobis vel morem, ut rugitus ac murmur ventris; vel magnitudinem, ut vomitus frequens, corporis gracilitas & virium lapsus; vel differentiam, ut excrementorum alvi dejectio crebrior, vel segnior,

ſegnior, quarum hæc humorum ad exteriores partes decubitum, illa retentricis facultatis exolutionem indicat, cutis raritas ac denſitas, hęc humores intrò ferri, illa ad extrà delabi monſtrat.

XXXIIX.

Ex his itaq; facilè curandi methodum invenire poſſumus, quæ conſiſtit partim in προφυλάξει, partim in θεραπείᾳ.

XXXIX.

In προφυλάξει inprimis ſtudendum, ut Aêr ſit purus, mediocriter calidus, ſi non naturâ talis exiſtat, arte parandus erit, pura ſcilicet flamma vel aromatibus ac rebus odoriferis accenſis.

XL.

Cibus ſit euchymus & ſucci laudabilis, minimè acidus ſeu auſterus, fugiendi fructus præſertim immaturi, panis non nimis fermentetur nec recens eſto, cui etiã commodè commiſcentur quæ urinam movent, cujusmodi eſt aniſum, careum, cuminum, petroſelinum, fœniculum & ejus generis reliqua.

XLI.

Potus ſit Vini veteris, clari, fulvi, cui etiam ex calefacientibus aliqua injicere licet, ut abſinthium, mentam, origanum, pulegium, hyſſopum, ſatureiam & ſimilia.

XLII.

Somnus ſit nocturnus & mediocris, quemadmodum exercitia etiam modum obſervent, taliter ſiquidem calor conſervatur, ac per ſomnum intrò means viſcoſos & acidos humores diſpellet.

XLIII.

Veneris uſus ſit exiguus aut omninò nullus, ne calor naturalis diſſipetur, aut virium robur exſolvatur.

XLIV.

Animi vehementiora pathemata, ut ſunt ira vel triſtitia, quarum illa humores conturbat ac vitioſos reddit, hæc verò calorem extinguit, vitentur.

XLV.

Nunc pauca etiam de θεραπεία, quæ etſi morbis per ſe, proximéque illorum cauſis debeatur, ratio tamen ſæpè monet, ut ſymptomati priùs occurramus, ſi nimirum illud vehementiùs urgeat, aut vires labaſcant.

XLVI.

Si igitur vehemens adſit Ventriculi morſus, cibi offerendi ſunt pingues & oleoſi, cujusmodi ſunt pultes ex multo melle & oleo copioſo, adipe anſerino, gallinaceo, ſuillo. Ex oleribus, malva, beta, anagallis; cerebella item, & pinguiores partes volucrium ac piſcium, & omninò ea, quæ appetitum obtundunt, ſatietatem inducunt, & quæ magna copia ſumpta modicè alunt: Vinum item dandum copioſum, odorum, fulvum, cui aliquid hyſſopi, origani, artemiſiæ aut ſimilium injectum ſit, jejunis exhibendum calidum, ſic enim ventriculum calefacit, & humorum acorem deſtruit, ut ſæpè ſuffecerit cum pinguibus & oleoſis cibis ad perfectam curationem, ita ut rectiſſimè ab Hipp. *2. Aphor. 21.* dictum ſit: Famem Vini potio ſolvit.

XLVII.

Si verò Vomitus vires dejiciat, cohibendus, cucurbitulis majoribus plurima flamma ori ventriculi affixis,

fixis, cataplasmatibus ex oleo absinthite, mastiche, thure, aut mica panis paratis. Conveniunt etiam gargarismi ex modicè repellentibus parati, qualia sunt succus rosarũ, diamoron, rob de putaminibus nucum, cum melle, croco & myrrha temperatum, & similia.

XLIIX.

Crebrior excrementorum alvi dejectio cohibenda, irrigationibus ex oleo omphacino, rosaceo, melino, myrtino & similibus, quibus utiliter tertia vel quarta pars vini austeri & adstringentis adjicitur, emplastra prædicta imo ventri commodè applicantur, præsertim si aliquid rhois vel balaustiorum, acaciæ, boli armeni, mororum immaturorum additum sit.

XLIX.

Intra corpus commodè ea sumuntur, quæ urinam movent ac diuretica dicuntur, ut sunt anisum, petroselinum, fœniculum, asparagi radix, dauci semen & similia, sic enim humores aliò avertuntur, ac retentrix alvi facultas minùs exsolvitur.

L.

Intemperies ventriculi corrigenda cõtrariis, ac pręcipuè iis, quæ simul ventriculo robur addere possunt, cujusmodi sunt, absinthium, menta, sisimbrium, mastiche, crocus, galanga, spica nardi, agallochum odoratum, macer, nux moscata, zinziber, caryophilla & similia.

LI.

Humor vitiosus, membranis impactus, calefacientibus, incidentibus, detergentibus præparandus erit, cujusmodi sunt melicrata, è thymi, hyssopi, origani, al-

lii & porri decocto parata, ad quæ plurimùm etiam faciunt diuretica superiùs enumerata, pani, vino, eduliis commixta, alitérve usurpata.

LII.

Humor hoc modo pręparatus purgandus est ex ʒ ij. hieræ picræ & convenienti melicrato. Quòd si ægri amarorem aloës non ferant, hierę picræ pulvis incorporandus est melle, aut ℥ ß. electuarii de hiera imperanda est. Similiter etiam pilulæ ex pulvere hieræ & agarico trochiscato ana ℈ ij. parari possunt, aut pulvis ex ovo sorbili sumendus est.

LIII.

Ventriculo sic expurgato ac humore evacuato unicè studendum, ne recidivam patiatur, cujus remedia cùm ex prædictis comparari possunt, hìc repetere noluimus, præsentique disputationi finem imponimus.



COROLLARIA.

1.

An obscœna ista ingesta per appetentiam caninam etiam nutriant? N.

2.

An infantes ob frustrationem rei expetitæ interdum extingui queant? Aff.

3. An

3.

An maculæ infantibus impressæ iterum elui poßint? A.

4.

An macularum abstersio, quæ statim post editum partum cum secundinis paratur, fieri debeat, antequam infans acclametur? Nos istam, ceu superstitiosam, & Christianæ religioni adversantem opinionem rejicimus.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

